







*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10



1656

1. Covingius, Hermannus : De dysenteria.
2. Eichel, Johannes : De beneficiis competentiae et  
censuris bonorum.
3. Eichelius, Johannes : De jure detractionis et emigra-  
tionis.
4. Eichelius, Johannes : De vindicta privata licite.
5. Hahn, Henricus : Selectae quaedam e jure quaestio-  
nes.
6. Hahn, Henricus : De ambitu ecclesiarum Simoniac.
7. Habnias, Henricus : De repraesentis.
8. Hahn, Henricus : De pacto retro venditionis.
- 9<sup>us</sup> Hahn, Henricus : De appignoratione fundi. Thuff.
10. Wernerus, Georgius : De evictionibus, absolute et  
relate consideratis.
11. Wernerus, Georgius : De iudice in genere considerato.

1. ...  
 2. ...  
 3. ...  
 4. ...  
 5. ...  
 6. ...  
 7. ...  
 8. ...  
 9. ...  
 10. ...  
 11. ...









22.

DISSERTATIO JURIDICA  
DE

~~P. 2. 47.~~  
Pri. 21. num. 26

PACTO RETRO-  
VENDITIONIS

1656, 8.

8

Dom Wiedertauß  
Ad l. 2. C. de Pact. int. cmpt. & vend. compos.

Q V A M

DIVINO NUMINE CLEMENTER ANNVENTE  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTIS-  
SIMI ET EXCELLENTISSIMI

DN. HENRICI Sahnen IC<sup>TI</sup>,  
CODICIS IN HAC ILLVSTRI JULIA PROFESSO-  
RIS PRIMARIÏ, FACULTATIS SUÆ SENIORIS,  
DICASTERII GVELPHICI AS-  
SESSORIS &c.

P. 224.

DN. PRÆCEPTORIS, PROMOTORIS AC HO-  
SPITIS SVI ÆTATEM DEVE-  
NERANDI

*publica disquisitioni subijciet*

BALTHASAR SCHÄDTER

MELLE-GUESTPH.

IN NOVO JULEO MAIORI

Die Februar.



HELMESTADII,

Typis JOHANNIS HEITMÜLLER



ANNO MDCLVI.

DISSERTATIO JURIDICA  
DE

# PACTO RETRO VENDITIONIS

Ab J. C. de Lab. int. emp. & vend. compo-  
situm

DIVINO NOMINE CLEMENS ER ANNUNTIAT  
SUI PRAESIDI

ET NOBILISSIMI AMPLISSIMI CONSULE  
SUI ET EXCELLENTISSIMI

DN. HENRICI COPHEN J.C.

CODICIS IN HIC ILLUSTRI IURIA PROFESSO  
RIS ERHARDI FACULTATIS SUI SENIORIS  
DICASTERII GUELFICI AS-

SESSORIS &c  
DN. PRAECEPTORIS PROMOTORIS AC HO-

SPITIS SVRATATEM DEVE-  
NERANDI

IN NOVO IURE MAIORI



IN ANNO 1774





DISSERTATIONIS JURIDICÆ

De

PACTO RETROVEN-  
DITIONIS

Ad l. 2. C. de pact. inter empt. & vend. compos.

THESIS I.

**A**ntiquissima est origo emptionis cum pacto retro-  
venditionis, lege à Deo T. O. M. datâ, primùm E-  
bræis usurpatâ, *Levit. XV. 23. 24.* postea Romanis,  
jam dudum tempore Proculi sub Imp. Vespasiano l. 12. ff.  
*de prescript. verb. & Alexandri Mammæi filij. l. 2. C. de pact.  
int. empt. & vendit. compos.* frequentatâ, Pontificibus quo-  
que receptâ, *cap. ad nostram. de empt. vend. ut & Germanis  
ord. imp. polit. tit. von wucherlichen Contracten,* alijsque gen-  
tibus cultioribus approbatâ.

II. Cumque ejus hodiernum insignis sit utilitas,  
quando sic maximè fundi aviti, aut res in quas cadit affe-  
ctio, necessitate fortè urgente, distractâ, vel etiam bona  
impuberum decreto magistratus vendita, sub conditione  
redemptionis reservantur, olim ubi melior fortuna af-  
fulserit, aut perfectior ætas accesserit, reluenda; hinc ope-  
râ pretium facturi videmur, si in naturam hujusmodi ne-  
gotij penitiùs quodam modo inquiremus.

III. Com moda autem huic rei maximè est laudata modò  
lex Alexandri Imperatoris 2. C. de pact. int. empt. & vend. com-  
pos. rescripta Carisio in hunc modû: *Si fundum parentes tui*

eo modo vendiderunt ut siue ipsi siue heredes eorum emptori pretium quancumque, vel intra certa tempora obtulissent, restitueretur, teque parato satisfacere dicta conditioni, heredes emptoris non parerent; ut contractus fides seruetur, actio præscriptis verbis vel ex vendito tibi dabitur, habita ratione eorum quæ post oblatam ex pacto quantitatem, ex eo fundo ad adversarium pervenerunt. Circa quam duo nobis enodanda erunt: (I) Casus, seu facti species recte formata; (II) Expositio ejusdem, quæ tribus absolvetur capitibus. 1. quid lex velit, 2. cur sic velit, & 3. quæ ejus sit vis & utilitas.

IV. Facti species talis esto: Carisij parentes fundum vendiderunt Titio, ea lege, ut si illi vel heredes eorum, emptori pretium quancumque, vel intra certa tempora obtulissent, fundus illis restitueretur. Carisius paratus est satisfacere dictæ conditioni, sed heres emptoris id recusat; Q. an ille cogi possit ad retrovenditionem? Affirmat Imperator competere præscriptis verbis vel ex vendito actionem, quæ continentur & illa, quæ post oblatum ex pacto pretium ex eo fundo ad emptoris heredes pervenerunt.

V. Quid lex sibi velit ex duobus inducitur, in quibus ejus substantia consistit, antecedente scilicet & consequente; unde & Status mox apparebit.

VI. Antecedens est id de quo hic aliquid dicitur, Eiusmodi sunt personæ, res, earumque circumstantiæ. Ex personis 1. est emptor sub pacto retrovenditionis, 2. venditor, qui tale pactum adjecit. Emptor aliquando dicitur qui permutavit vel compensavit *l. sciendum 19. §. 5. ff. de adilit. Edict. l. fin. ex quib. caus. in poss. eatur. l. 2. ff. de rerum perm. proprie verò qui pretio emit, l. 1. de rer. perm. dict. l. 19. §. 5. de adilit. Edict. ut venditor qui metecem pretio*

ven-

vendit d. l. 1. l. 1. de contrah. empr. Emere autem vendere & emptio venditio, licet promiscuè veteribus sumerentur, teste Gajo in l. 19. de act. empr. & vend. Gloss. in l. 2. ad L. Rhod. de iact. hic tamen propriè accipiuntur, quomodo emptio & venditio est contractus qui consensu de pretio & merce perficitur d. l. 1. de contr. empr. Estque alia simplex, alia quæ fit cum pacto adjecto, ut sunt additionis in diem, legis Commissoriæ, & quod à nobis tractatur, de retrovendendo.

VII. Ut autem propius ad rem accedamus, de finitionem ejus exordiemur, quam talem statuimus: quod sit conventio emptioni adjecta, ut venditori pretium iterum offerenti, res vendita restituatur. Adjecta dicitur conventio r. quia non est ipse contractus emptiois sed pactum ipsi appositum arg. l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 72. de contr. empr. h. l. 2. Quia ipsi emptiois contractui certam præscribit formam, quæ in eo est, quod prædicto modo res vendita venditori sit restituenda, qui modus hic conditio dicitur, item lex, non quidem propriè & publica, quam ferre, & eidem derogare solius Majestatis est arg. l. 38. ff. de pact. l. 10. de relig. & sumpt. fun. Sed privata, & per Translationem talis, quia emptiois quasi legem præscribit servandam, quod privatis licitum esse constat ex l. 52. ff. de v. o. l. 1. §. 6. ff. Depos. itemque toto tit. ff. & C. de pactis. Et hinc est quod pactum lex contractus dicatur l. si dominus 8. ff. præscript. verb. lex locationis l. si in lege 24. ff. locat. cond. forma locationis l. 7. §. 3. ff. solut. matr. l. 1. de superficie. lex conductionis d. l. 1. §. 5. In ff. de locat. cond. lex venditionis: in qua significatione & nobis sumitur h. l. & l. 1. C. eod. l. 29. de S. R. P. Pactum hoc nostrum Germanis vocatur retræctus conventionalis, Wiederkauff oder Ablösung. VVehnerus, Besold, Speidel. in observat. & thesaur. præct. ad. vocib.

II. X. Apponitur pactum hoc tripliciter (I) in gratiam venditoris, ut si vendas domum ea lege ut quando-  
cunque idem pretium solveris, tibi reddatur. Fitque hoc  
iterum aliquotariam & i. simpliciter, absque ulla tem-  
poris determinatione, uti h. l. ut quandoque pretium  
offertur, liceat redimere; dictio enim *quandocunque* per-  
petuitatem ac infinitatem in contractibus denotat, *Boerius*  
*decis. 131. num. 21. 2.* cum temporis definitione, idque du-  
pliciter, nempe ut in certum tempus, habitâ ratione ter-  
mini ad quem, v. c. ad 3 vel 4 annos venditori liceat rem  
venditam redimere, & deinceps non; tunc enim licet redi-  
mere anno primo, secundo, usque ad annum quartum,  
ita quidem ut nec ultimus dies exclusus videatur, *arg. l. 133.*  
*de V. S. l. 1. §. 9. ff. de success. Edit.* Idem est si dictum sit intra  
vel infra decem annos, *innerhalb / binnen / oder unter*  
*zehn Jahren* / sic enim decimus annus terminus est ad  
quem, quia obligatio facta est ad certum tempus, quo du-  
rante valida est; eodemque elapso, finita, *l. 8. in fin. de pos-  
tul.* Eodemque pertinet si dictum sit decimo anno concessam esse redemptionem, quia tunc decimus ille annus tantum præscriptus est, ut nec ante nec post eum fas sit redimere, *arg. l. 41. pr. de manumif. test.*

IX. Deinde apponi potest hoc pactum ex certo tempore, attento eo, ut termino à quo, ut sc. ad certum tempus licita non sit redemptio, v. c. non ad duos vel tres annos, deinde vero licita sit vel ad certum tempus vel in perpetuum. Idem est quando dicitur: ut non nisi ix annis elapsis, vel ne intra proximos ix annos facultas ista concessa sit, tunc enim, nisi post elapsum annum nonum, non licet redimere, post licet, quia quod post tempus est permilsum, ante illud censetur prohibitum *l. 21. de const. pec.* & contra, ad tempus prohibitum, post illud intelligitur permilsum *l. 8. de postul.*

X. Hoc

X. Hocce autem pactum in gratiam venditoris ita ad-  
jectum quin licitum sit & non usurarium, dubium non est,  
hoc enim modo fructus non percipiuntur ex re aliena, sed  
ex propria, interim dum pretium non restituitur, nec ra-  
tio habetur, usurarum, de quibus ex natura negotij nec ac-  
tum fuit, *Ludov. Molina, de I. & I. th 2. disp. 320. in fin.* Adeo  
ut etiam lætio enormissima non attendatur, *Anton. Fab. in  
Cod. de rescind. vend. defn. 29.* neque concurrens pretij vi-  
litas, nisi & consuetudo fœnerandi emptoris accesserit,  
aut, quod potius, emptio ex causa mutui originem accepe-  
rit, fundo, unde fructus percipiendi, oppignorato, v. c. si  
constet ex instrumento obligationis quod venditor em-  
ptorem rogaverit de pecunia sibi mutuanda, *cap ad nostram  
5. de emp. vend.* aut creditor noluerit mutuare, nisi sibi  
fundus cum pacto de retrovendendo venderetur, tunc e-  
nim mutuo cum pignore contracto, nec promisso aliquo  
certo, ratione usurarum fructus percepti in sortem sunt  
computandi *l. 1. C. de pign. act.* Ubi nihilominus usuraria  
pravitas arbitrio iudicis æstimanda est, nec omne quod  
mutui ratione præstatur secundum principia Pontificio-  
rum ut usurarium, est improbandum. *Harim. Pistor. obs. 219.  
num. 56.* In dubio etiam contractus pro emptione cum pa-  
cto de retrovendendo potius, quam pro pignoratō ha-  
bendus est, si verba non reclament; nec præsumptio capi-  
enda est in partem sequiorem; conf. *Marth. Berlich, p. 2. con-  
clus. 1.* ubi plures recenset casus, quibus pactum hoc de re-  
trovendendo pro usurario habeatur.

XI. Adjici potest hoc pactum de retrovendendo (II) *vid.  
th. 8.* in gratiam emptoris ut sc. venditor redimere teneat-  
ur, quando emptor voluerit, v. gr. si emas ita, ut reddita  
venditori domo, teneatur ille pretium tibi reddere; Et  
videtur nihil vetare sic quoque pacisci, paterque ex *l. 31. §.  
22. ff.*

22. ff. de adilit. Edict. ubi non improbatum pactum, si quid vendatur ita, ut si res empta displicuerit emptori, redhibeatur, idemque colligitur ex cap. illo vos 4. de pignorib. id. que ibidem num. 2. affirmat Panormit; atque asseverat Didac. Covarr. 3. variar. resol. cap. 9. num. 3. Verum facile sinistra suspicio de tali pacto capi poterit, utpotè si cogatur venditor redimere pro eodem pretio, quo justè vendidit; & enim rem non solum vendidit à sua parte, sine ulla facultate redimendi, sed etiam vendidit gravamen seu partem pretij, quod in se suscepit, redimendi illam, quando cumque emptor vellet, ac pro eo gravamine accepit incrementum pretij in prima emptione, Mol. dict. tract. disp. 377. num. 14. 15. ideoq; non aliter licitum erit tale pactum, quam si venditor in pretio non defraudetur, Henr. Zoef. de rescind. vend. num. 15. Accedit quod in emptorem presentis pecuniæ seu pretij dominium irrevocabiliter transferatur, neque hic pecunia reddenda, ut in mutuo l. 1. §. ult. de act. empt. l. 7. C. eod. l. 1. de rerum perm. unde etiam est quod in venditione annuorum reddituum cum hujusmodi pacto, facultas redimendi soli venditori sit relinquenda non emptori, ordinat. Imp. pol. de anno 1577. tit. von wucherlichen Contracten.

XI. (III) Res vendi potest cum pacto de retrovendendo in favorem simul emptoris & venditoris ita ut quovis eorum id prius volente, teneatur alter iterum emere vel vendere; modò tunc pretium justum sit ultra id, quo res justè emeretur, si cum solo pacto de retrovendendo in favorem solius venditoris emeretur, quia per hoc pactum plus gravatur venditor, quam emptor, Molin. dict. disput. 377. num. 16. Caterum in hac lege pactum de retrovendendo adjectum est in favorem venditoris, ut in l. 12 ff. de praeser. verb. idque *ἄν τὸ ἀλείφον* ita conveniri solet.

XII, Por-



XII. Porro res de qua hic statuitur est fundus. Fundus interdum aliquid est agrum cum villa & ædificio signifi-  
cans, adeoque quicquid solo continetur, unde & villa  
pars fundi est atque accessio *l. 8. quib. mod. usufr. amitt. re-*  
*gio, locus, l. 28. §. fin. de S. R. P.* latifundia, possessiones, et-  
iam populus, civitas, monasterium, vicus, castrum & si-  
milia. *Vlric Zas. ad §. 2. Inst. de act.* modicus quoque locus  
fundus appellari meretur, ratione nostræ destinationis *l.*  
*60. de V. S. l. 24. §. 3. de leg. 1.*

XIII. Denique circumstantiæ quo ad res quidem  
sunt, quod fundus sub dicto pacto retrovenditionis fuerit  
venditus; quo ad personas autem, quod venditor Carissus  
quidem paratus erat conditioni contractus, h. e. pacto re-  
trovenditionis, satisfacere, pretium offerendo, sed heres  
emptoris acceptare recusabat.

XIV. Exercituro enim legem hujus contractus ven-  
ditori necesse est ut à sua parte conditionem, quam ipse  
sui gratia apposuit, primus impleat, pretium offerendo  
*arg. l. 13. §. 8. de act. empt.* ubi dicitur offerri pretium ab em-  
ptore debet, ubi ex empto agitur, idem itaque obtinet in  
venditore, qui sibi pacto adjecto cavet de re emendo, quia  
is in hoc secundo negotio fit emptor, ergo nisi præstet  
quod est emptoris, obstat ipsi exceptio non impleti con-  
tractus fideique non servatæ *arg. dict. §. 8.*

XV. Verùm quia hæc altioris sunt indaginis, duo  
hoc nomine notanda sunt requisita. I. est ut pretiū ab em-  
ptore offeratur, quod hoc loco dicitur quantitas ex pacto  
oblata. Pretium namque hic propriè accipimus pecuni-  
am numeratam, quæ pro re empta datur, *l. 1. de rer. per-*  
*mut. §. 2. Inst. de empt. vend.* Kauffgeld / Kauffschilling /  
diversaque hæc est à pretio conductionis, Miethgelde *l. si*  
*quis 10. §. 2. de acquir. vel amitt. possess.* quod mercedem signi-  
ficat

ficat l. 28. §. 1. locat. cond. l. in salam 58. eod. l. fin. 10. ad Leg. Rhod.  
de iact. vel etiam aliam rem fungibilem; corpus, speciem;  
quæ quidem aliquando pro pretio solvitur & æstimatione  
recipit arg. l. vinum 22. ff. de reb. cred. l. fin. de cond. trit. verum  
non in emptione aut retrovẽditione §. 2. Inst. de empt. vend.  
sed in do ut des; aliove contractu innominato l. 2. de rer. per-  
mur. Offerri pretium hoc debet, h. e. exhiberi, quomodo  
offerri pecunia dicitur l. 28. §. 1. de administ. tut. & oblatio  
nuda l. 19. C. de usuris, quæ differt à solenni, cujus tres sunt  
partes, oblatio sc. consignatio & depositio. Nuda hic suf-  
ficit (1) quia jam ante de pretio conventum erat, cui pro-  
ximum ut ab exercituro legem contractus id offeratur.  
(2) quia ex quo facta est oblatio, venditor statim intentio-  
nem fundatam habet ad mercem recuperandam h. l. inmet.  
arg. l. 13. §. 8. de act. empt.

XVI. Sed quæritur hic circa hoc, num verbalis sufficiat,  
an vero realis requiratur oblatio? Resp. distinguendum  
esse; vel enim recusat empor, vel acceptat oblationem,  
priori casu oralis sufficit, vimque solutionis habet, & est  
venditori pro implemento l. 72. ff. de solut. d. l. 19. C. de usur.  
tum quia per oblationem verbis factam experiri licet, quæ  
sit emporis voluntas; ubi ergo illa sic secuta simul, & de-  
clarata est, factâ recusatione realis oblatio foret frustra-  
nea; tum quia quando per eum stat, per quem fieri quid de-  
bet, perinde est ac si verè fecisset. l. 50. de contrah. emp. l. 38.  
locat. cond. Ioh. Vult. 3. conf. Marpurg. 21. num. 289.

XVII. Altero casu & quo ad effectum recuperandæ  
mercis venditæ, verbalis oblatio non sufficit, sed requiri-  
tur realis, quæ fit vel actuali pretij adnumeratione seu so-  
lutione, vel solenni oblatione, consignatione & deposti-  
tione arg. l. 19. C. de usur. Nec mutat l. 7. C. h. t. consignatio-  
nem & depositionem pecuniæ requirens. Licet enim verum  
rum

tum hoc sit, non aliter tamen est intelligendum, quam quod illis opus sit ad effectum petendæ restitutionis rei venditæ, ut modò diximus, quam (oblato verbaliter pretio) pergens petere, non audietur, nisi vel solverit, vel simul obsignatum pretium deposuerit, ceu post *Petr. Barbos.* ad l. *simora* §. num. 67. & 72. in fin. solut. matr. & alios, recte docet *Heur. Zoef.* post tit. de leg. Commiss. tit. de retr. convent. Nec enim placet responsio à *Zoefio* dissentientis *Perezij* ad h. t. num. in d. l. 7. agi de rescindendo contractu jam factò, ad quem proinde ultra oblationem accessoria sit depositio & consignatio, quod debeat pretium cum effectu restitui per illum, qui rescisso contractu vult suam rem habere; at ubi non de rescindendo sed inducendo contractu agitur, solam oblationem purificare conditionem, & consequenter ex eo contractu, tanquam purificato dari offerenti actionem l. 2. h. t. Nam respondetur ubi non de rescindendo sed inducendo contractu agitur ut hic, quo ad effectum quidem consequendæ mercis venditæ non minus requiritur realis oblatio, siue solutione fiat, siue solenni oblatione arg. l. 13. §. 8. de act. empt. *Andr. Farb.* lib. 2. controu. cap. 42. *Boerius* decis. 123. num. 27. Sed quidnò etiam verbalis sufficiat tunc, ubi de rescindendo contractu agitur, sec. principia l. 7. h. t. ad effectum experiendæ & declarandæ voluntatis emptoris, qui ad restituendum tenebatur?

XIX. Pretium autem hoc porro justum & integrum offerendum est, quod quidem retrovenditioni commune esse videtur cum ipsa venditione & ex natura contractus, justum dicitur quod injusta quantitate consistit; Et videtur distinguendum, vel de hac conventum fuit tempore pacti adjecti, vel non; illo casu conventio servanda est, l. 7. §. 7. & seqq. ff. de pact. siue de minori siue de majori quan-

ri quantitate conventum sit, modo non hæc justam summam nimis excedat. Hoc casu justum id pretium habetur quod tale est, ubi peragitur retrovenditio, non quod fuit secundum valorem præeritum *arg. l. ult. C. de iure emphyt. l. fin. C. de locat. pr. ad.* Nisi moribus aliud obtineat, sc. ut refundatur illa summa, qua res vendita fuit. Hoc enim tunc partes respexisse censentur. *Hieron. Cagnol. ad h. l. num. 97.* Ita vult *Zoes. dict. tit. num. 28.* Verum rectius censemus etiam ultimo casu justum esse pretium & attendendum id, quod fuit in prima venditione, (1) quia pretium, quod tunc placuit, justum fuit propter pactum retrovenditionis adjectum, alias enim venditor pluris distraisset *l. fundi partem 79 de contrah. empt. l. 21. §. 4. de act. empt.* Ergo & justum est idem pretium tempore retrovenditionis. Nam propter quod unumquodq; est tale, illud magis est tale, ut habet regula vulgata. (2) Facit argumentum ab ultima voluntate ad contractum *l. fundum instructum 3. ff. de fund. instruct. leg.* (3) Alioquin emptor facile lucrum caperet cum jactura venditoris, cum res vilius initio vendita censeatur ob onus retrovendendi annexum. *dict. l. fundi partem & l. 21. §. 4.* Si autem hoc non attentio, inspiciatur valor tempore retrovenditionis, venditor cogetur pluris remerere. (4) Pactum de retrovendendo est quadam pars pretij rei venditæ *d. l. 21. §. 4. de act. empt.* contineturque una eademque oratione qua est principalis emptionis, pretium autem est de substantia emptionis. Ergo & hic *l. pacta convenia 72. §. an idem ff. de contrah. empt.* atque in pacto retrovenditionis pretium venditionis repetitum censetur. Accedit (5) quod pactum hoc pars sit contractus & rei veritate perfecta emptio, quia inde agi potest ad mercem retrovendendam, ergo vel pretium in eo certum est, vel non est; hoc dicere absurdum foret, quia implicat in adjecto

jecto, agi posse ad retrovendendam mercem, & tamen pretium esse incertum, quod tunc nulla foret emptio §. 1. *Inst. de empt. vend.* Si illud dicamus tunc justum illud, & non aliud pretium justum est tempore retrovenditionis, quam quod fuit tempore venditionis. Argumentum tale est: Ex quo contractu agi potest ad rem venditam oblato pretio retrovendendam, in illo certum pretium debet ante esse constitutum. Sed ex pacto nostro venditioni adjecto sic agi potest. Ergo pactum hoc habet certum pretium antea constitutum. *Franc. Zoannetti, ad h. l. num. 117. & seqq.* Atque ita, nisi fallor, sentire videtur *Dn. Carpzov. ad part. 2. cap. 1. def. 22. pr.* dicens quod eodem semper modo eodemque pretio fieri debeat revenditio, quo res fuit vendita cum pacto de retrovendo, ne vel emptoris vel venditoris conditio dura pariter & iniqua reddatur, *citato Matth. Colero conf. 28. num. 43.* Ad contraria in discursu respondebimus.

XIX. Pertinet verò huic, si tempore retrovenditionis moneta mutata sit, eam assumptionem inspiciendam esse, quæ fuit tempore venditionis, & secundum hanc pretium retrovenditionis solvi debere. (1) *arg. l. 3. de reb. cred. arg. l. 99. de solut. & liberat. cap. cum canonicis 26. de censib.* (2) quia ad hoc tempus contrahentes respexisse censentur, *Andr. Fachin. 2. contr. cap. 10. Ernest. Coshm. 1. conf. 34. num. 32. Fabius de Montetr. de empt. vend. quest. 5. principali.*

XX. Integrum quoque seu totum pretium hic offerendum esse indubium est, quod particularem solutionem nemo acceptare cogatur *l. 8. §. 9. ff. de transact. l. 3. fam. hered.* Nisi emptor sub pacto retrovenditionis rem parata pecunia non emerit, sed distinctis temporibus, aufß gewisse termin oder Tage Zeit / tunc enim & venditor hoc jure utetur, ne alter præ altero duriore conditione gravetur. *Andr. Scheff, lib. 3. quest. 10.*

XXI. II. Requiritur *vid. rh. 15. pr.* ut *prædicta* pretij oblatio fiat oportuno tempore. Equidem videtur emptorem obligari venditori ad retrovendendum præsentis die, quo ideoq; & pretium offerri possit, quod sine die retrovendere promiserit *l. 41. §. 1. de V. O. §. 2. inf. eod. l. 14. de R. I.* hoc tamen verum tantum est secundum justitiam præduram & exactam. Nam secundum naturam emptionis vend. hoc agitur ut uterque contrahentium commodum inde capiat, indigentia vel utilitate exigente *l. 1. de contrah. empt.* ergo non poterit venditor confestim, omni posthabita temporis commoditate, prohibitu intempestivè cogere emptorem ad revendendum; sic enim res tradita censeretur non tradita, & pretium quod fuit solutum pro minimè soluto haberetur *arg. l. qui sic solvit ss. de solut. & liberat.* Hinc secundum principia ejus quod actum hic, & justitiam benignam tamdiu venditori expectandum est, priusquam contra emptorem ad retrovendendum agat, usque dum hic commodum aliquod, cujus gratia fundum sibi comparavit, ex emptione percipere potuerit *arg. l. 17. §. sicut aut. 3. commod. l. 38. mandat. Bart. in l. si pœnam 68. de V. O. Dec. ad l. 90. de R. I.* Quousque autem hoc tempus excurrat, venditori expectandum, & quia definitum haud est, judicis arbitrio committimus. *arg. l. 1. de jure Delib.* Ad contraria respondet *Zoannet. ad h. l. num. 110.*

XXII. Tantum de antecedentibus seu subjectis eorumque circumstantiis hujus legis: sequitur nunc consequens. Hoc est competere actionem præscriptis verbis, vel ex vendito *h. l.* Circa hoc autem inquirendum venit, quænam actionis hujus sit origo, qualis sit, & quæ ejus natura.

XXIII. Origine ejus prima est pactum adjectum emptioni vend., & quidem in continenti *l. 7. §. 5. & seqq. ff. de pact.*

*pañt. partim reſolutivum & reformativum, quo intendi-  
tur reſolvendum fore priorem contractum & novum in-  
ducendum arg. l. 53. de pañt. l. 1. & 2. C. Quand. liceat ab emp̃.  
reced. l. 1. §. 2. C. Caduc. toll. vid. Franc. Mant. Card. de tacit. &  
ambig. convent. lib. 4. tit. 31. num. 5. 8. 10. & ſeqq. & tit. 32. n. 29.  
Quia vero pactum hoc pars eſt contractus eumque infor-  
mat d. l. 7. §. 5. de pañt. hinc quidem obligatio inde descen-  
denteſt ex contractu emptionis, ſed firma non ex ſe, ſed  
propter adminiculũ extrinſecum, quod eſt coharentia  
contractus d. §. 5. l. 3. de O. & A. l. 20. C. de pañt.*

XXIV. Eademque ratione inde nata actio eſt mere  
personalis, (1) quia per pactum de retrovendendo tantum  
persona aſtringitur ad retrotradendum *arg. d. l. 3. de O. & A.*  
Qui autem venditor rem ſuam emat [condicat] quod ab-  
ſurdum, & niſi in fure non eſt receptum, [2] per textum ex-  
preſſum *h. l. iunct. l. 6. C. de rer. perm. l. 21. de act. empt. Gail. 2.  
obſ. 16. n. 4. Modeſt. Piſtor. 1. conf. 13. queſt. 2. num. 20.*

XXV. Nec officit quod pactum hoc videatur rem ip-  
ſam afficere, ſicque utile ſaltem dominium ipſo jure re-  
verti ad venditorem citra retrotraditionem, cujus bene-  
ficio primus venditor rem vindicare poſſit, ab illo in quem  
emptor illam alienaverit, ut concludunt *Paul. Caſtrenſis  
in l. 13. num. 6. de pignor. act. Maſuer. in pract. tit. de retr. num.  
4. Didach. Covarruv. 2. var. reſol. cap. 8.* (1) quia ſic obtineat  
in lege commiſſoria & pacto additionis in diem. *Nobiliff.  
Dn. Praeſes in obſ. ad VVeſemb. de in diem addit. num. 3. & de  
Leg. Commiſſ. num. 1.* (2) quia in d. l. verbum *reſtituatur* ſit  
obliquum quod actualem redditionem non requirit *arg.  
l. 45. ad Sctum Trebell.* (3) per *l. 7. h. t.* (4) per *l. 18. §. ult. quib.  
mod. pign. ſolvit l. 7. §. 1. de diſtract. pign.* ut ſi pactum ſit quod  
ſi venditor pretium iterum offerat, licebit ipſi rem ſuam  
recipere, vel tunc res ſit inempta; Quomodo verbis pa-

At

Et retrovenditionis directis concepti obtinere, sentiunt  
*Matth. Berlich, p. 2. c. 2. n. 18, Carpzov. ad d. p. 2. c. 1. def. 17. &*  
plures casus quibus actioni reali locus sit notat *Berlich, d. l.*  
*n. 17. & seqq.*

XXVI. Responderi namque potest ad (1) quia in *Le-*  
*ge Commiss. & Pacto* additionis in diem propterea locus  
est vindicationi conditione impleta, quod venditio sit fa-  
cta ex causa quæ per conditionem additam redit ad non  
causam, ut res habeatur pro tradita. At hic non ita agitur,  
sed ut res retrovendendo restituatur, quod non fit ipso ju-  
re, sed facto hominis indiget. *Ant. Faber Decad. 22. cap. 1.*  
*Andr. Tiraquell. de retr. p. 2. §. 7. n. 12. Fachin. 2. contr. c. 15.*  
(2) Verbum *restituatur* significat iteratam traditionem,  
quia ad hoc agere tenetur venditor contra emptorem: Si  
ipso jure transiret dominium, actione retrovendendi & sic  
retrotradendi non esset opus: (3) licet in *l. 7.* pactum vide-  
atur conceptum in modum *Legis Commiss.* non tamen  
resolvitur contractus ipso jure, quia species ista differt à *le-*  
*ge Commiss.* cujus forma est, si non solvatur intra certum  
diem pretium, res inempta sit. At in *l. 7.* alia est forma,  
quæ pretium jam numeratum & res tradita: Natura et-  
iam est emprionis sub pacto retrovenditionis; quod pura  
sit & sub conditione resolvatur: vid. *h. l. cum l. 2. pr. de indi-*  
*em addit.* Facitque *l. 4. C. de AEdilit. act.* ubi statuitur, præ-  
dico hac lege comparato ut si displicuerit esset inemptum,  
contractum resolvi, non tamen ipso jure, cum redhibito-  
ria agatur, Idem ergo dicendum in casu *d. l. 7.* quia licet  
statuat oblatâ pecuniâ, consignatâ, depositaque non pos-  
se emptorem retinere dominium, non tamen statuit hoc  
ipso jure reverti, sed potius actione ex emptio vendito em-  
ptorem cogi posse ad rem retrovendendo tradendam,  
sec. ordinaria juris principia.

(4) *l. 19.*



(4) *l. 10. §. fin. quib. mod. pignus solvitur.* agit de vendito per creditorem pignore, cujus dominium transit in emptorem *l. 46. de A. R. D.* & rescissa venditione dominium non redit ad creditorem, sed ad pistinam causam, sc. ad debitorem cum causa pignoris, neque hoc ipso jure, sed cum causa pignoris, eademque ratio est *l. 7. §. 1. de distract. pign. vid. citati à Tyraq. d. l. num. 16. Zoes. dict. tit. num. 19. & seqq. Peretz in C. h. num. 19.*

XXVII. Sequitur ergo hinc quod nec venditor primus, qui sibi prospexit pacto retrovenditionis, possit agere utili rei vindicatione contra singularem possessorem, in quem emptor interea alienaverit *l. fin. §. ult. de contrah. empt.* Contra emptorem tamen recte agit ad interesse, quia licet emptor non prohibitus sit alienare *l. nemo 61. de pact.* locus tamen est actioni ad id quod interest, vel pœnæ, si quæ fuit adjecta. *l. fin. C. de reb. alien. non alien. Gail. dict. obs. num. 5. Mynsing. 6. obs. 69.*

XXIIX. Nominatur autem hæc actio personalis difertè præscriptis verbis vel venditi. Vbi notandum, quod dictio *vel* hic sit correctiva, non conjunctiva, propter *l. 4. ff. de leg. Commiss.* quia actioni præscriptis verbis non est locus, ubi adest ordinaria *l. 2. & seqq. de præscript. verb.* & dissentio olim fuit inter Ictos quænam ex pacto adjecto actio oriatur, quæ decisa per Antoninum & Severum *incit. l. 4.* quomodo ergo & hæc lex, quæ ejusdem Severi est, intelligenda, Emundo Merillio 2 *VARIANTIUM*, ex Cujacio censente hic utramque sententiam conjungi, ne quicquam dissentiente, & insuper satis refutato ab Excellentiss. Dn. Præs. *vide in observ. tit. de Præscript. verb. num. 8.*

XXIX. Naturam quoque hujus actionis in proclivi est hinc dignoscere, modò notetur eam propter negotium bonæ fidei, quod gestum est, duplicem esse, Venditi sc. &

C

Empti,

Empti, licet Imp. utpote consultus de prima tantum, de ista etiam solum responderit: Illa est, quæ ex hoc pacto datur venditori, ad hoc, ut emptor mercem retrotradat *h. l.* Hæc verò ut venditor reddat pretium primo emptori, quodque huic abest *h. l. l. 12. de prescript. verb.*

XXX. Retrovenditio ad quam emptor astringitur, est species venditionis ut merx præstetur, quæ tria continet 1. ut retradatur. 2. dominium transferatur. 3. ut & vacua possessio, Ampliss. Dn. Præses *tit. de contrab. empt. num. 8.* Sui ergo natura requirit dominij translationem quia emptor hic fit venditor, hic autem ex natura emptionis venditionis tenetur rem tradere seu dare *l. 25. §. 1. de act. empt. l. 25. §. 1. de contr. empt.* quod fluit ex obligatione dandi & est dominium transferre *l. 80. §. fin. dict. tit. l. 75. §. fin. de V. O.* quicumque autem tenetur dominium transferre, is etiam cogitur præcise tradere *arg. l. ult. C. de fideic. libert. l. fin. §. 1. C. de usur rei iudic.* ergo & emptor hic retrovendendo dominium transferre tenetur, & præstando interesse non liberatur.

XXXI. Fructus quoque in hanc actionem bon. fid. veniunt, non quidem percepti, quia ab emptore interim ut vero domino ac possessore sunt acquisiti *l. 43. ff. de usur. l. 48. de A. R. D.* sed qui pendentes fuerunt tempore primi contractus, quia pars fundi extiterunt, quo cum venditi *l. 13. §. si fructib. 10. de act. empt. Covarr. 2. variar. resol. 2. num. 11.* Idem que de ijs, qui pendent tempore retrovenditionis exercitæ, dicendum est, propter eandem rationem, nec conqueri potest emptor fundum dimittens, cui sumptus cultura restituenti *l. 34. de petit. hered. Petr. Barbof. ad l. Divortio 7. num. 70. ff. solut. matrim.* Quin etiam restituendi sint fructus, qui à tempore oblatis pretij ex fundo pervenerunt, indubium est, & propter hanc l. expressam, & quod à tempore  
moræ

mora illorum quoque ratio habenda sit *l. 32. pr. de usuris*  
vid. Nobiliss. Dn. Præses *de rescind. vend. num. 6.*

XXXII. Quæ per alluvionem etiam fundo accesserunt, ad venditorem pertinent, quod talia ut accessiones fundo cohereant *l. 7. §. 1. de A.R.D. ejusque naturam sequantur l. 23 de R.V. Fachin. lib. 2. controu. cap. 6. add. Ludov. Gozadinus ad h. l. num. 177.* ubi disputat an augmentum contingens per alluvionem post venditionem, sit restituendum venditori qui ex vi pacti redimit, pro eodem pretio, quo fundus erat venditus, an vero sit augendum illud pro ratione emolumenti, quod fundo accidit *dict. num. usque ad num. 81.*

XXXIII. Cæterum hinc quoque in proclivi est nosse I. quod onus collectæ, impositæ tempore quo durat redimendi facultas, secuta post modum retrovenditione, spectet ad emptorem, qui fructus percepit fructus enim respiciunt collectarum onus *l. quæro 28. de usufr. leg. l. 27. §. 3. de usufr. l. fin. ubi Salicetus C. sine censu vel &c. Cagnol. ad h. l. num. 91.* II. Hinc patet quod res & dominium tam utile quam directum pendente facultate redimendi sit emptoris, non venditoris, adeoque & periculum ejus ad illum pertineat, non ad hunc *arg. l. 6. C. de pignor. act. iunct. l. 21. C. Mandati Cagnol. ad h. l. num. 95.* ubi ex hoc fundamento decidit, vendito castro cum pacto retrovenditionis, tempore belli fortè imminente, si controversia sit inter emptorem & venditorem de militibus prædialiis in castro ponendis, hoc licet protestante se velle redimere, & de eo quod inter sit contra emptorem nolentem pati custodiam ab eo opponi, modo dictum venditorem tamen non esse audiendum *Bald. cap. 1. pr. de invest. de re alien. fact. in usib. feud.*

XXXIV. Empti actione emptori consilium non modo pro pretio reddendo, ut thes. 29. satis expositum,

sed etiam si quid ipsi abest ratione fortè impensarum, uti-  
lium puta ac necessariorum *arg. l. 38. 39. de hered. pet. l. 48. de  
R. V. l. 8. de pign. act.* Modo iste 1. modicæ sint, nec nimis gra-  
ves v. gr. ne æquent aut excedant ipsius fundi æstimatio-  
nem, quæ non restituendæ *arg. l. 10. §. 1. de neg. gest. l. 8. de im-  
pens. in res dot. fact. iunct. l. 25. de pign. act. Gail. 2. obs. 12. num. 6.*  
2. modo non commodum impendentis pro tempore tan-  
tum concernant, quæ cum fructibus perceptis compensa-  
rentur *l. 7. §. 2. verb. hætenus de usufr. sed erogatæ sint in per-  
petuam rei utilitatem arg. l. 3. §. 1. de impens. in res dot. fact.  
conf. Carpz. ad part. 2. const. 32. def. 7. ubi cautelam habet.*

XXXV. Atque hæc quoque de consequenti seu præ-  
dicato nostræ legis dixisse sufficiant, unde nec latere potest,  
qualis Status ejus sit. Certum enim est negotium aliquod  
fuisse celebratum, eique pactum adjectum; constat quoq;  
hoc negotium fuisse contractum emptionis venditionis,  
& pactum adjectum de retrovendendo. Supposito ergo eo  
nihil amplius à Carisio consultore hic quæsitum fuit, quam  
an justum sit, cogi emptorem ad retrovendendum, quod  
affirmat Imp. competere actionem *prescript. verb. aut ven-  
diti*, Status autem hicce haud alius est quam judicialis.

XXXVI. Porro cur ita statutum sit seu lex ita velit ex  
principijs modò dicti status, pro ut quid justum vel injustum  
est naturaliter vel civiliter, dependet & nunc investigan-  
dum est. Vbi primùm non immerito dubitandum videtur,  
quod hæc facultas redimendi concedi etiam debeat vendi-  
toris heredi *text. hic*. jam vero jus implendi conditionem  
potestativam, qualis hic est, in heredes non transit *l. decem  
43 ubi Bart. de V. O.* quia debet illa implementum accipere  
ab ipsis contrahentibus, vel altero ipsorum verè & forma-  
liter. Ab herede autem propriè ea impleri non potest, sed  
impro-

impropriè & per fictionem, quod improbatur *l. qui heredi.*  
*44. l. Mævius ss. de condit. & demonstr.*

XXXVII. Præterea videtur per oblationem pretij restituendi emptionem fuisse resolutam, fundumque pro-  
tinùs inemptum censendum, ut itaque annihilato contra-  
ctu, opus non fuerit intentare aliquam ex obligatione a-  
ctionem, cum resolutio jure datoris, resolvatur jus acce-  
ptatoris *l. 31. de pign. & hypoth.*

XXXVIII. Ad hæc sublato ea ratione contractu, cen-  
sentur omnes etiam fructus de fundo percepti venditori  
restituendi, nam quoties venditio est conditionalis, to-  
ties percepti fructus ita omnes restituendi veniunt, *l. 2. l. 4.*  
*de in diem addict.*

XXXIX. Neque etiam prætereundum, quod, si lex  
accuratiùs inspiciatur, illa nec agat quidem de pacto re-  
trovendendi, sed de pacto de restituenda re pro eodem  
pretio, *secund. Coras. 3. misc. quest. 9. num. 1. Cagnol. hic. Rau-*  
*dens. decis. Pisana 16. num. 176.* quæ pacta inter se multum  
differunt, *notante Cagnolo hic num. 14.*

XL. Nihilominus tamen pro justitia enim legis hæc  
militant: Dubium non est, fidem in contractibus esse ser-  
vandam, utpote quod juri Naturæ conveniens *l. 1. de pact. l.*  
*1. de Const. pecun.* & hæc ratio hic expresse inserta est, omne  
namque promissum debet constare & veritate & fidelita-  
te; vid. hic optimus locus in observ. Excellentiss. Dn. Præ-  
sid. *p. 109.*

XLI. Deinde si emptor oblato pretio fundum non  
restitueret, foret injustus & venditori suum non tribue-  
ret, sed auferret potius, ipse plus haberet, alter minus,  
contra principia à justitia particulari deducta. Nam ven-  
ditori per pactum contractui adjectum quæsitum est jus ad  
rem seu obligatio, quâ ipsi emptor obstrictus est, ad fun-

dum retrovendendum, hoc ergo ut ipsi ab emptore tribuatur justum est, contrarium vero injustum.

XLII. Præterea hæc est natura pacti adjecti, quod censeatur pars esse contractus *l. 7. §. 5. ff. de pact.* ex contractu autem emptionis datur actio; Ergo eadem est etiam ex pacto retrovenditionis ipsi adjecto, cujus conditio hæc est, quod detur venditori, ejusque heredi. *h. l.*

XLIII. Insuper sæpe utile esse hujusmodi pactum pro bonis siue avitis siue aliis in familia conservandis, aut recuperandis ijs, cum necessitate argente fuerint distracta, experientia testatur; ideoque utilis hæc lex est reipub. pariter ac necessaria.

XLIV. Ad dubitationem primam respondetur, hic in conventionem mentionem fuisse factam quoque heredum, quod & *oppos. l. si decem 48. de V. O.* est conveniens. Quando enim ex conditionis implemento aliquid est perventurum, tunc & ad heredem debentis adimplere, & ad heredem illius, cui implendum est, transit jus adimplendi conditionem *l. si pradio 15. de in diem addict. h. l. & in d. l. si decem ubi Bart. & Ias. Hieron. Cagn. ad h. l. num 3.* Accedit quod omnia pacta, omnesque promissiones ad heredes transmittantur *l. 8. §. 4. de pign. act. l. qui Roma 122. §. 2. de V. O. vid. Nicol. Noal. de transmiss. cap. 56. & 57.* Nec officit *l. 44. & 55. de condit. & demonstr.* ubi non negatur quod conditio redimendi impleri possit ab herede. Neque illa ad individua ista, quæ contraxerunt, præcisè alligata est: neque iidem hac mente contraxerunt sed potius ut & sibi & heredi prospicerent, quæ contractuum est natura & contrahentium intentio. Quidn̄ itaque & hic conditio ab heredibus impleatur *d. l. si pradio 15. de in diem addict.* Personæ namque in pactis in seri solent, plerumque causa demonstrationis, non ut personale pactum sit, sed ut de-  
mon-

monstratur, cum quo pactum factum sit, *l. 7. §. 8. in fin. de pact.*

XLV. Quo ad secundum distinguendum est, inter pactum adjectum simpliciter contractus resolutivum, & secundum quid pactum seu reformativum, *secund. juris th. 23. citata* Prioris generis sunt pactum *in diem addictio- nis & L. Commissoria*: At pactum hoc de retrovendendo non est tale, sed mixtum, ita ut oblato pretio fundus quidem retrovendatur, verum facto contrahentium interveniente, quod in eo, est ut venditor pretium offerat solvatque, emptor vero runc fundum reddat. Contractum enim fuerat de retrovenditione facienda, quod (quando perfecta illa jam fuit consensu de pretio & merce) ob coherentiam contractus aliter fieri non potest quam pretij redditione & mercis restitutione. Hocque respectu hoc pactum est quoque reformativum, quia non modo resolvit contractum pristinum, sed & novum inducit. In quo id manifesto differt à *L. Commissoria & pacto add. in diem*, quibus altero, si in diem certum pretium solutum non sit *l. 2. de L. Commiss.* altero, si melior intra certum tempus conditio allata sit *l. 2. de in diem addict.* emptio inempta est. Sic enim resolvitur & novum post se contractum non relinquit. Dependent vero hæc ex principis actionum humanarum, juxta quæ de negotio contracto semper est judicandum atque ab alijs discernendum, *sec. text. eleg. in l. in omnibus ss. ff. de O & A.*

XLVI. Tertia dubitanda ratio vera est in emptio-  
ne contracta sub conditione suspensiva *l. 4. de in diem ad-  
dict.* quæ perficitur demum existente conditione, ea vero  
deficiente evanescit *d. l. 4.* Secus est in emptione contra-  
cta sub conditione resolutiva, propter quam contracta,  
dicitur magis sub conditione resolvi, quam sub conditio-  
ne con-

ne contrahi, quia exitu est conditionalis, in initio pura. *l. 3. de contrah. empt. Bachov. in not. ad VVesemb. ad rit. de in di- em addict. num. 2. & Excellentiss. Dn. Praes. ibidem.* At pactum retrovenditionis non est conditionale, nisi modo tantum secundo, in super quoque non tantum est resolutivum, sed & reformativum, adeoque sese habet non modo privative, sed & positive.

XLVII. Deniq; pactū de restituenda re pro eodem pretio realiter non differt à pacto nostro de retrovendendo, (1.) quia quicumque tenetur ex pacto retrovendere, illum oportet tradendo rem pro eodem pretio restituere, sec. th. 30. (2.) ubi pactum fuit de re vendita pro eodem pretio restituenda, ibi pactum fuit de retrovendendo, quia utroque casu consensus est interpositus de certa merce & pretio, (qui substantialiter facit emptionem venditionem §. 1. & 2. *Inst. de Empt. Vend.*) invicem reddendo restituendo *vid. Mant. de tacitis & ambig. convent. l. 4. tit. 31. n. 3.*

XLVIII. Quod ergo, & quomodo, lex nostra justa sit ex his quoque manifestò liquet. Quod si nunc principia, in quibus diximus substantiam ejus consistere & ex quibus initio composita est, jungantur, promanat inde hæc ejus decisio & sententia: *Vendito fundo cum pacto retrovend. si emptor vel eius heres nolit conditioni parere, tenebitur actione venditi, prætereaque emolumentum, quod à tempore moræ percepit, restituere. Dd. ordinariè b. l.*

XLIX. Denique usus & effectus Legis in interpretatione pragmatica occupatur, æstimanda ex mente illius & ratione. Locum ipsi dari non modò quo ad ipsum venditorem, sed etiam quo ad ipsius heredes, ex verbis textus manifestum est. Venditor namque ex pacto adjecto jus ad rem quæsitum habet, quod ad heredes, defuncti personam representantes, *l. 22. de usurp. & usucap. l. 116. §. 3. de leg.*

r. utiq;



7. utriusque est transitorium *l. ex contractib. 49. de O. & A. l. veteris 13. C. de contrab. & committ. stipul.* licet venditor hoc specialiter non dixerit, quia plerumque tam nostris hereditibus quam nobismetipsis cavemus ut *eleg. concludit l. 9. ff. de probat.*

L. Obtinet ergo decisio hujus legis I, non modo quo ad heredes suos & cognatos, sed etiam quo ad extraneos & collaterales *l. heredem 59. de R. I. Berlich. p. 2. concl. 2. num. 23. & seqq.*

LI. II. Non tantum in emptore qui emit cum pacto de retrovend. sed & in ejus herede, tam majore quam minore. Etenim obligatio utrinque ad heredes transit, *text. hic.* Idemq; ad minorem 25. annis emptoris heredem adeo extendimus ut ipse revendere teneatur etiam si decretum magistratus non interveniat *l. 1. C. quand. decr. opus non est* iudex enim promissam à parte emptoris revenditionem, mutare, adeoque decreto dato eam rescindere non potest. *Boer. decis. 182. num. 24. Modest. Pist. 2. cons. 64. num. 38.* Sed quid si ipse minor sit emptor? Nec tunc decretum requiri censeat *Zoes. d. t. de retr. num. 9.* imprimis quod contractus subsistat, cujus pars est pactum adjectum *l. 79. de contr. empt.* Verum rectius contrarium tuetur *Andr. Fachin. 2. Contr. 3.* Si enim ipsa emptio venditio cui pactum erat adjectum, conjuncta fuit cum autoritate Tutorum *sec. pr. Inst. de aut. tut. & decreto interveniente tot. tit. de reb. eorum & c. & tot. tit. C. de pred. & aliis reb. minor. pactum adjectum quidem validum est, non modo quia pars est contractus, sed etiam quo ad hoc, quod est de retrovendendo & alienationem continet. Si vero prædicto modo autoritas tutorum vel decretam non intervenit, quin hoc casu pactum nullum sit, extra omne dubium po-*

D

situm

situm est, quod alienationem sapiat fundi minoris absque decreto factam *dd. ff.*

LII. III. Idem in Ecclesia obtinet, cujus ratio, non quod utatur jure minoris, qui hic non speciali utitur jure, sive quâ ille heres est emptoris *arg. l. Ex contractib. 49. de O. & A.* sive quâ ipse emptor. Causa solida est, & quia hoc jure quoque Ecclesiastico receptum *cap. pontifices 12. quæst. 3.* & quia summe injustum foret, Ecclesiam quæ cultrix & auctrix justitiæ *I. Feud. 13. arg. cap. ex tenore 11. de for. comp. fundum cum pacto retrovenditionis emptum retinere nec re vendere cum injuria venditoris l. 206. de R. I.*

LIII. IV. Plures quoque emptoris heredes retro vendere tenentur, sed non nisi pro parte in quam successerunt, (1) quia non tenentur nisi actione venditi personali, non reali *l. 1. C. si unus ex plur. hered. credit. &c. l. 2. C. de heredit. act.* (2) Quoniam onus hic heredum est retrovenditio, quod itaque ad eos tantum transit pro portionibus hereditariis *l. 1. C. si certum petat.* Idemque verum est sive unus ex heredibus totum fundum possideat *arg. l. fin. de contrah. empt.* sive actio contra defunctum instituta sit & lis contestata *l. 2. §. 2. de prætor. stipul.*

LIV. V. Casu converso si venditor plures reliquit heredes, aut plures vendiderunt cum retrovenditionis pacto, unus oblato toto pretio, si integrum fundum redimere velit, reliquis reemere nolentibus, audiendus est *l. si ff. 78. §. qui fundum 2. de contr. empt.* modo caveat reemptor se venditorem indemnem præstiturum erga suos socios, idem alioquin jus habentes, seu de restituendo partem socio, si is forte deinceps illum habere velit *Schneiderwin in §. actionum 38. sub rubr. de act. ex vend. num. 20. Inst. de action.*

LIV.

LV. VI. Cessionario quoque venditoris jus redimendi competit *arg. l. ex pluribus 42. de admin. & per tut. inut. l. 22. C. mandat. Zoannett. ad h. l. num. 7. & seqq. Schneidervin. dict. rubric. num. 18. Modest. Pistor. part. 3. quest. 109.* Hoc enim jus non est talis facultas, quæ personam, à qua profecta est comitetur, & illi soli inhæreat, sed est jus formatum, & actio, quæ cedi potest. *per cap. 72. de reg. iur. in 6. regula namque est: omnem actionem personalem cedi posse, à qua hic casus non est exceptus; quamvis secus sit in iis, quæ specialiter alicui competunt Schneidv. d. l. num. 18.*

LVI. VII. Absenti etiam, sive pupillo sive alii, quando ejus prædia extraneo sub pacto retrovenditionis magistratus autoritate vendita sunt, hoc jus non denegari æquum est. Iudex enim pupillis & cuius absentia acquirere potest, quod ipsorum favore jure singulari receptum est, *l. 2. rem pupill. salv. fore l. non aliter 18. de adopt. Gl. & Dd. in §. si quis astra 4. Inst. de inutil. stipul.*

LVII. IIX. Jus redimendi locum habet non modo in fundis quorum textus noster meminit, sed etiam in aliis bonis sive mobilibus sive immobilibus, aliisque quorum venditio esse potest *l. 34. §. 1. de contr. empt.* Nam quæ ratio est venditionis, eadem est quoque retrovenditionis, cum utraque sit venditio, altera saltem prior, altera succedanea, *l. 27. §. 2. ff. de pact.* Hinc & in annuis redditibus obtinet, *Reform. Imp. Polit. de anno 1548. & 1577. tit. von wucherlichen Contracten.* & in feudis quod & horum quoque sit venditio *1. Feud. 16. 1. Feud. 1. §. 5. de fin. 1. Feud. 7. & 24.* modò quando venditur ita fundus, id fiat cum consensu domini aut agnatorum *2. Feud. 9. & 24.* In emphyteusi & usufructu idem dicendum est.

LXX. IX. Quæ diximus ad eò vera sunt, ut emptor  
ejusque heredes præcisè retrovendere teneantur, & præ-  
stando interesse non liberentur, quemadmodum probare  
anteversum fuit supr. th. x. Obtinere prædicta etiam post  
lapsos 30 annos & ulterius, non attento tempore quo aliàs  
actioni personali præscribitur l. 3. C. de præsc. 30. vel 40. ann.  
l. 1. §. 1. C. de annal. except. Quod equidem ad jus redimendi  
concessum non simpliciter seu quancumque, absque  
ulla sc. temporis determinatione, restringimus (1) quia  
conventum fuit ut liceret omni tempore redimere: ergo  
non potest quoque non esse conventum ut nullo tempore  
liceret præscribere: hæc enim sunt, repugnantia quæ se  
mutuo tollunt arg. l. sicut in annos 3. pr. quib. mod. usufruct.  
amitt. (2) quia emptor ejusque heredes alioquin sec. princ.  
juris Can. cap. 20. de præscript. bona fide non poterunt præ-  
scribere. Secus ergo est ubi pactum fuit simpliciter de re-  
trovendendo, tunc enim quia nihil novi conventum est,  
à jure communi, cui contrahentes in dubio se confor-  
masse intelliguntur, non est recedendum. Hoc autem il-  
lud est, quod actio personalis ex vendito, quæ venditori  
competit, 30 annis pereat d. l. 1. §. ad hæc. 1. C. de annal. except.  
l. 3. C. de præscript. 30 vel 40. ann. Tanto itaque tempore de-  
sinet venditor ex eo pacto adversus emptorem agere Zoan-  
zett. hic num. 33 & mult. seqq. item num. 37. & seqq. Secus est  
in jure luendi pignoris, quod in mera facultate consistit,  
necdum nata ulla actione, hoc autem jus redimendi præ-  
supponit jam natam actionem propter pactum contractui  
adjectum, quo venditor & potest compellere emptorem ad  
retrovendendū & rem restituendam, qui nisi suo tempore  
actione utatur, repelleretur postea à redimendo, Zoef. num. 32  
Quod si definitum tempus adjectum est, quousque redi-  
mere

mere liceat, cessat quoque retrovenditio lapsu temporis adjecti *l. Thau. 41. de fideic. libert.* ita ut moræ purgatio non attendatur.

LIX. Restrigitur tamen conclusio nostræ legis ut non obtineat, præcipuè l. ubi emptor fundum ad certum tempus locavit, ubi venditor colono stare tenetur. Fuit enim in arbitrio venditoris ante redimere; ergo antequam redimatur, emptor voluntate venditoris ut possidere ita & locare potuisse censendus est. *arg. l. si vir uxori 12. de præscr. verb. l. si filios. 25. cum notatis ibi ab Alciat. & aliis ff. solut. matr. Zoannett. hic num. 143. Diss. Zoef. ad dict. tit. num. 24.* Quod si emptor rem medio tempore pignori supposit, idem multo magis dicendum esse arbitramur. Nam per pactum retrovenditionis non hoc agitur, ut contractus prior ipso jure sit nullus, neque ut simpliciter reformetur, sed ut insuper novus ineatur: Hinc vero sequitur, rem interim jure proprietatis concessa, alienari potuisse, nec alienatam vindicandi jus competere venditori, jus tantum ad rem contra personam obligatam habenti. Venditor tamen rem luere, aut quod interest emptoris, præstare tenetur *Faber. de error. pragmat. 6. Decis. 32. c. 1.*

LX. Non est locus retrovenditioni, II. ubi tempus illi præfixum transactum est. *sec. th. 9.* quia tempus adjectum est limitandæ obligationis gratiâ, *Mantic. D. 6 31. n. 34. & seqq. Guid. conf. 52. num. 23.*

LXI. III. Cessat quoque contra tertium singularem possessorem, in quem res interim alienata, quia nec actio hic subest realis, & personalis, quæ ad est, competit tantum contra emptorem, qui ex pacto retrovendere tenebatur. *Myns. 6. obs. 69. n. 6. Gail. 2. obs. 16. Excellentiss. Dn. Preses in obs. tit. de rescind. vend. num. 8. & de pignorib. & hypoth. num. 6.*

LXII. IV. Vbi iuri redimenti fuit renunciatum vel spontaneo facto venditoris, *arg. l. pen. C. de pactis* vel consensu utriusque, stipulatione interveniente vel pacto contrario *l. 3. de Resc. vendit.*

LXIII. V. Si conventum fuit restrictive, quod venditori soli liceat rem venditam soluto pretio redimere *Hartm. Pistor. obs. 154. num. 23.*

LXIV. VI. Quando unus ex pluribus heredibus volens redimere non vult cavere de retrovendendo partem socio, si is postea eam redimere velit, *Schneider v. diff. 1. num. 20.*

LXV. VII. Vbi speciali ter prædicto casu pactum est duntaxat venditorem ipsum redimere, nulli vero alij jus suum cedere debere *arg. l. 1. de pact. l. 1. de const. pecun. Hieron. Cagnol. in h. l. Col. & vers. limita.*

LXVI. IIX. Cessat *h. l.* quoad absentem cuius bona vendita sunt sub pacto retrovenditionis; tum *arg. l. 1. C. de contrab. stipul. l. 11. ff. de O. & A.* tum quod pactum hoc retrovend. alterius acceptantis consensum desideret. *l. 1. §. 2. de pact. Hartm. Pistor. obs. 116. num. 9.*

LXVII. Et hæc quoque sunt, quæ de usu & effectu nostræ legis afferre volumus. Cui si huiusmodi pacti cautionem *ab Excellentiss. Dn. Præside* communicatam subiciemus, equidem ut rem ipsam hoc modo magis illustratam, sic quoque perfectiorem fortè, quàm suscepimus, legis explicationem habebimus. Illa vero talis est: Kundt un̄ zu wissen sey hiemit ieder männiglich / das zwischẽ den N.N als verkauffern an einẽ: un̄ N.N als kauffern an andern theile ein zu recht auffrichtiger / bestidiger un̄ redlicher wiederkauffgedinget / abgeredet un̄ beschlossen  
wor̄

worden/ also und herogestalt. Erstlich verkaufft obbe-  
nanter NN. für sich/ seine liebe Hauszehr NN. geborne N.  
un ihre Erben/ Erbnehmen/ seinen in Osterland haben-  
den Adelichen Sitz/ sampt dazu gehörigen kleinen gar-  
ten und Vorwerck und allen andern äckern unter dem D-  
liesberge belegen/ das es 10 volle huffe Landes/ darunter  
185 morgen zehent frey/ die übrigen 15 morgen aber ze-  
hentbahr/ nebenst andern *pertinentien*/ an wiesen unnd  
garten vor der Stadt/ zwey morgen Wiesenwachs an  
dem Wästerthor/ die Jacht auf den Osterlandischen  
feldmarckte/ Beckerhölzte an Felsstein belegen/ auch al-  
len andern wie die seyn oder nahmen haben mögen/ und  
in einen besondern *inventario*/ welches mit beyder theile  
belieben aufgerichtet/ eigendlich *specificirt* seyn/ umb un  
für N. N. wolgeltende R. thal. *in specie* stück vor stück/ ie-  
doch auf einen wiederkauff auf die negst folgende 9 Jah-  
re/ von unterschriebenen *dato* anzurechnen. Es setzet auch  
Herr Verkäufer in krafft dieses den Dm. Käuffern ein  
in die wahre wesentliche *possession* solcher güter/ dieselbe  
solche kauffjahre über zu besitzen/ und seiner besten geles-  
genheit nach zugebrauchen und zu nützen/ iedoch auß  
dem holtze mehr nicht als die nothdürfftige ferverung  
zu nehmen/ und will ihme hiemit und in krafft dieses bey  
verpfändung aller und ieder seiner haab und güter *evi-*  
*ctionem praestiret* haben. Da gegen und zum andern will  
Herr Käuffer die obgedachte kauffsum der N. N. *in*  
*specie* Reichsthaler den Herrn Verkäuffern so bald bey  
vollenziehung dieses *contractus* und *Inventarij* bahr über  
in einer unzertheilten Summen erlegen unnd bezahlen/  
un über das die wehrende kauffjahre über jährlich dem  
Herrncellario in das spende Register zu 4 malter weitzen/  
4 mal-

4 malter rocken / und ein Reichsthaler / imgleichen dem  
Kath zu Osterland 2 Reichsthal. und 5 fl. und der Schu-  
le daselbst zehn Reichsthaler / und endlich dem Holzför-  
ster jährlich ein malter Rocken zahlen und reichen / unnd  
die darüber jährlich erhaltene *quirung* dem Herrn  
Verkäufern ohnweigerlich ausfolgen lassen. Es ver-  
pflichtet sich auch drittens Herr Käufer die Gebewde  
auf dem Sitze und Vorwercke in Tach Fach und noth-  
dürfftiger Besserung / auch die Holtzung in guten stan-  
de zu erhalten / unnd dagegen bey dem abzuge nicht anzu-  
rechnen / auch so etwas neues gebawet / dasselbe ohne  
entgelt zu liefern / und zu lassen. Es ist aber zum vierdten  
so woll dem Herrn Verkäufern / seiner lieben Hauszehr  
und ihren Erben / Erbnehmen als dem Herrn Käuffern  
und seinen Erben *reseruiert* und vorbehalten / des letzten  
Jahrs ein viertel Jahr zuvor / und also Ostern des 1658  
Jahrs eine schriftliche oder mündliche Lose / in jegen-  
wart oder *ad domum* zu *intinieren* und anzukündigen: Und  
wann solche Loskündigung von einem oder beyden thei-  
len geschehen / so soll und will der N seine liebe Hauszehr  
und Erben den folgenden *Iohannis Baptistae* bemelten Jah-  
res / vorgedachtes Gubt zu Osterland nebst den *perti-*  
*nentien* von dem Herrn Käuffern und seinen Erben / mit  
N. N. Reichsthaler *in specie* stück vor stück / bahr über in  
einer Summen hinwieder an sich kauffen / unnd solche  
Summ dem Herrn Käufer und seinen Erben erlegen /  
welche hergegen das Gubt mit allen und ieden *perti-*  
*nentien* zu *reerotradiere* und dem Herrn Käuffern und seinen  
mit beschriebenen ohne alle weitere *pratenstion* abzutre-  
ten unnd einzurennen schuldig unnd gehalten seyn sollen.  
Und



Und ist zum fünfften hiebey abgeredet/ daß das anietzo  
verhandene Winter- und Sommer- Korn durch ge-  
schworne Leute soll *estimiret* und dem Herrn Käufer  
umb das *estimatum* gelassen werden/ hergegen aber der-  
selbe und seine Erben verobligiret und verpflichtet seyn/  
nach geendigten 9 Jahren das von ihnen bestellte Som-  
mer- und Winter- Korn hinwieder durch geschworne  
Leute un̄ heym abzuge *procompetenti summa compensiret* un̄  
der überschus von dem N. oder der mangel von dem  
Herrn N. ersetzt oder erlegt werden. Alles und jedes ob-  
beschriebenes gereden und geloben beyde theile bey ih-  
ren Ehren/ wahren Worten treu und Glauben / auch  
Verpfändung aller und ieder Daab und Güter stedt fest  
und unverbrochen wol zu halten/ sonder einige arge List  
und gefahrde. *Renunciirend* darauff allen *beneficien* und  
*Exceptionen* welche den einen theil wie dem andern vor-  
träglich seyn müchten. Insonderheit *doli mali, fraudis,*  
*simulationis, lesionis enormis, enormissima, hypotheca sine con-*  
*sensu non dat a superioris in valide, rerum non amplius ita stan-*  
*tium, processum ab executione non incipiendum, leuterationis,*  
*supplicationis, appellationis, nullitatis, revisionis, redu-*  
*ctionis ad arbitrium boni viri, restitutionis in integrum, l. 2.*  
*C. de rescind. vendit.* auch der gemeinen Rechts-Regul/  
das gemeine verzieht nicht verbindlich wenn alles *in spe-*  
*cie* wörtlich nicht darin gesetzt / und andern behelffen  
*in genere & specie* wie die Nahmen haben mögen: de-  
ren wir mit teutschen Worten woll erinnert und uns  
freywillig verziehen und begeben haben. *Urkünd-*  
*lich* geben N. den 8 Julij anno 1649.

E

ADDEN-



## ADDENDA.

**P**RO differentia pacti *in diem additionis & de retroven-*  
*iendo* ad thes. nostram 45. apprimè faciunt quæ nota-  
vit magni nominis ICRUS Anton. Fab. *dec. 22. error.*  
*pragm. error. 1. sub medium* inquiringis: Resolvi contra-  
ctus dicitur cum in eum statum res devenit, ut contra-  
ctus nullus unquam initus esse videatur. At retrovendi-  
tio, sive facta, sive facienda sit, non efficit ut prior ven-  
ditio pro non facta habeatur, sed contra potius, id est fa-  
ctam eam esse necesse sit, adeoque subsistere ad hoc, ut  
retrovenditioni locus fiat. Et consequenter, sicuti  
venditio nuda id est quæ traditionis adminiculo destitu-  
ta esset, transferre dominium in emptorem non posset,  
ita neque dominium quod ex utili & nunquam finita ven-  
ditione emptori acquisitum fuit, ad venditorem re-  
currere ullo modo potest, *nisi per mediam retrovenditio-*  
*nem*, per quam scilicet secunda venditio perinde impleatur,  
atque prior jam impleta fuit. Hæc rectè Faber. At vero  
quod idem dicit *err. 4.* emptorem qui retrovendere pro-  
misit non teneri præcisè tradere, sed præstando id quod  
interest liberari, secus ac dictum est th. nostra 30. id nul-  
lo modo ipsi concedendum est; Nam 1. quæ natura ven-  
ditionis est, de merce præcisè tradenda, ut ipse Fab. do-  
cet *coniect. c. 17. l. 16.* eadem est retrovenditionis. Inde-  
que ut venditor in simplici vend. est adstrictus præcisè ad  
traden-

tradendum, ita & emptor sub pacto retrovenditionis. 2.  
quia pactum de retrovendendo emptioni statim adje-  
ctum, est revera nova empt. vend. l. 7. §. 5. de pact. & non  
pactum duntaxat de retrovendendo. Nec opus, ut pa-  
ctum hocce adjectum statim perficiatur. Interim nihilo-  
minus rectè habet quod decantatus Faber *err. 7.* affirmat,  
emptori statim dominium irrevocabiliter acquiri, etiam  
si tempus intra quod retrovenditio peti possit, non præte-  
riderit. Ad consensum enim de precio & merce habitum  
secuta traditio, dominium confert §. 41. *Instit. de rer. divis.*  
Et licet aliquando redire hoc possit ad venditorem, fallere  
tamen id potest, ubi ille redimere nolit: & quid si citra  
adjectum pactum retrovenditionis res eadem in eundem  
venditorem sponte alienaretur? anne nihilominus irre-  
vocabile esset emptoris dominium? Quod *thes. 7.* dictum,  
pactum retrovenditionis esse conventionem adjectam,  
non ita intelligendum est, ac si nullo alio modo fieri pos-  
sit Retrovenditio. Nam interdum retrovenditionis pa-  
ctum adhibetur in ipso venditionis contractu, aut in con-  
tinendi post contractum. Et hoc non modo effectu, sed  
etiam juris intellectu idem est, l. 7. §. 5. de pact. l. 41. de reb.  
*cred.* Quandoque fit separatim à contractu, & vel pacto  
nudo, vel subsequente stipulatione. Illo casu non dari acti-  
onem ex vendito, certi juris est, d. d. II. Quin tamen of-  
ficium judicis implorari possit ad servanda promissa, nos  
equidem nulli dubitamus, ut rectè concludunt Cagnolus,  
Socinus, Iason, Fabro nostro *error. 7.* nequicquam in-  
terim dissentiente. Hoc casu actio ex stipulatu compe-  
tit, Notabile assertum est *thes. 33.* periculum rei sub pa-  
cto retrovenditionis venditæ interim, dum non recimi-  
tur, spectare ad emptorem. Dissentit ab eo præteliquis

Matth. Berlich. p. 2. concl. 2. n. 33. exemplo uxoris quæ  
domina manet fundi dotalis, l. 30. C. de iur. dot. l. 3. §. 5.  
de minor. quod & approbant Andr. Tiraq. de retr. conv. n.  
92. ad fin. Amod. à Pont. q. laudem. 8. n. 12. Bart. Aymon.  
de iur. alluv. l. 2. c. 10. & seqq. Quin & obstat graviter hoc  
argumentum. Quicumque rem emit, ad illum pertinet  
periculum rei venditæ. At venditor sub pacto de retro-  
vendendo rem eandem simul emit. E. ejusdem est peri-  
culum. Major est certi juris l. 1. & t. t. de per. & com-  
mod. rei vend. Minor asserta est thes. 29. 30. & 57. vers.  
nam quæ ratio. Respondebimus in discursu. De Laude-  
mio tandem, an & quatenus in retrovenditione locum  
habeat, notatu quam dignissima habet par nobile Icto-  
rum, Dn. Frantzk. de laudem. c. 10. n. 175. & Dn. Richt-  
er. dec. 83. n. 76. & seqq. quibus cum modo fini-  
entes, D. T. O. M. immortales grati-  
as agimus.

F I N I S.








(X2618052)

WVD









B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

O JURIDICA

*P. 2. 47.*  
*Pri. 21. num. 26*

# RETRO- TIONIS

*1656, 8.*  
*8*

edertauß  
empt, & vend. compof.  
A M  
MENTER ANNVENTE  
ESIDIO  
PLISSIMI, CONSVLTIS.  
ELLENTISSIMI  
**DI Hahnen IC<sup>TI</sup>,**  
STRI JULIA PROFESSO-  
TATIS SUE SENIORIS,  
VELPHICI AS-  
RIS &c.  
ROMOTORIS AC HO-  
TATEM DEVE-  
ANDI

*trioni subjiçiet*  
**SENKÖDER**  
GUESTPH.  
LEO MAIORI  
Februar,

  
STADII,  
HEITMÜLLER

IO CLVI.

